Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2901
Quelle:
Copyright:

ctoribus, canonicis, religiosis, baccalarijs et clericis alijs anno domini MCCCXXXIX. et incepit feria quinta post cineres accipiendo thema quod sequitur de ewangelio illius diei et continuauit vsque ad festum beati petri martir. in modo et forma que sequitur. Hanc inscriptionem praeit *Elenchus* omnium III. *Partium*, in quas universum Opus tributum est, et *Praefatio* ad *N.* (Pictavinum de Montesquiou) *prouidentia diuina episcopum Albien.* quae incipit: *Altitudo diuiciarum sapiencie et sciencie dei* &c. et subscribitur: *Datum actum et completum tholose in vig. dominici patris nostri Anno domini MCCCXLII.* Hanc excipit Prologus: *Quoniam clamitat sapiens* &c. et Collatio pro principio: *Domine non sum dignus* &c. Opus ipsum, quod inchoat: *Dividitur ergo iste tractatus in tres partes* &c. hanc miniatam praemittit admonitionem: *Incipit tractatus hujus operis: Sciendum tamen, quod in lectura multos reportatores habui, in bene dictis reportacionem approbo: si que autem alia addiderunt, vel in aliquo defecerunt, nolo michi imputari, ego enim legi in forma que sequitur in hoc libro.* Ad calcem post prolixam ipsius Autoris subscriptionem miniatam, in qua refert Servatoris cruci suffixi dictum ad Thomam Aquinatem: *Bene scripsisti de me Thoma!* sequitur brevior haec: *Scriptum veloci manu Jacobi schuch de Eslingen Art. Bacc. Anno. d. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, ad honorem et gloriam illius cuius corpus et sangwis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continetur nec non et dominici confessoris sanctissimi Thome de aquino, cuius doctrina lucida vt sol et luna per mundi splendet climata amen.*

Scribere qui nescit nullum putat esse laborem.
Tres digiti scribunt, totum corpusque laborat.

Agitur de *Bernardo de Parentinis* in *Scriptt. O. P. T. I.* p. 611. Editionibus operis nostri, quod et *Lilium* et *Elucidarius Missae* inscribitur, ibidem citatis adde *Reutlinganam* per *Joh. Otmar* 1483. 4. et aliam *s. l.* 1487. f.

II. *fol.* 107. *Tractatus de pusillanimitate cordis.* Scriptum breve, quod incipit: *Aliqui per cordis pusillanimitatem tum putant se desperare, cum non desperant* &c. et finit: *qui diucius et laboriosius decertauerunt* &c.

III. *fol.* 109. p. 2. *Tractatus* hic inscriptus *de tribus novissimis*, incipiens: *Quoniam karissime in huius via vite fugientes sumus* &c. jam alibi titulum *Sermonis* tulit. Sed neutrubi Autor memoratur.

IV. *fol.* 114. *Expositio Pater Noster* seu Orationis Dominicae. Initium: *O inmensa clementia, O ineffabilis benignitas, O mira dig-*

natio